



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

§. 1. De constitutione emphyteusis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

1749

Suppon. 7. per *canonem* emphyteuticum, ut haberetur L. ult. C. de jure emphyteut. intelligi certam pensionem, quæ in singulos annos solvitur ex re accepta in emphyteusim, ut emphyteuta dominum semper recognoscat; *canon* enim in jure civili dicitur *anniversaria pensio*, seu *prestatio*, quæ à Provincialibus quotannis populo, vel Romano, vel Constantinopolitano gratis mitebatur. Dicitur *canon gleba*, qui ratione glebae prestabatur: *canon telonei*, qui ratione mensæ publicanorum pendebatur; per *Laudemium* autem intellige certam partem pretii, seu estimationis rei venditæ, quæ (ut inquit Lesius cit. n. 57. jure communi est *quingagesima*; consuetudine vero, *trigesima*, quam emphyteuta solvit domino, quando ex ipsius consensu rem emphyteuticam vendit, donat, permutat, seu alienat; his in genere præmissis:

§. I.

De constitutione emphyteusis.

1750

Quæstio 1. est, an emphyteusis Ecclesiastica necessario constituatur scripturâ? R. probabilior affirmare ex L. 1. C. de jure emphyteut. ibi: *actionibus scriptura interveniente*; ubi nota duos ablativos absolute poni, qui denotant conditionem, ut sensus sit: *si scriptura inter venerit*. Et in L. 2. expresse dicitur: *actiones in emphyteuticis instrumentis*; & L. 3. *si emphyteuticum instrumentum aliquas actiones habeat*; esto verum sit, ante prædictas leges non fuisse requisitam, etiam privatam, quæ tamen hodie sufficit; licet Ecclesiastica *perpetua* requirat *Scripturam auctoritate publica* confectam, ut constat ex Novella 7. Et hoc in emphyteusi Ecclesiastica *perpetua* communis tenet; circa alias emphyteuses dissentiunt Doctores; probabilior tamen affirmat, propter citatas leges, quæ indefinite loquuntur.

1751

Quæstio est 2. in quibus rebus constitui possit? R. quod in solis immobilibus, ex n. 1741. hinc in rebus mobilibus, ne quidem illis juribus, quæ immobilibus comparantur, ut sunt annui redditus

perpetui, constitui potest; sic Haunoldus tom. 3. de Just. tr. 9. c. 4. n. 472. Emphyteusis probabilior est contractus *stricti juris*, ut notat Fachinus l. 2. c. 99. quia, §. 58. Instit. de actionib. (ubi exactè referuntur contractus bonæ fidei) & inter eos non ponitur emphyteusis, quæ, cum propriam habeat naturam (ut dicitur §. 3. Instit. de Locat.) non potest ibi venire sub nomine Locationis, vel Conductionis.

Quæstio est 3. an constitui possit etiam in re Ecclesiastica? R. Id prohiberi Prælati, quoad res Ecclesiasticas, non servatis solemnitatibus, ut dictum est tit. 13. cum veniat sub nomine alienationis, ut constat ex Extravag. *Ambitiosa* de reb. Eccles. non alienand. & per eam diminuitur jus Domini. Hæc prohibitio intelligenda est *de novo dando rem Ecclesiasticam in emphyteusim*; non autem, *cum semel data revertitur, ad Ecclesiam*, idque non obstante juramento, quo se obligavit ad res Ecclesiæ non alienandas c. 2. de Feudis; quia sic non tam alienat, quam non acquirit, vel utitur; modo perseveret eadem ratio, & causa concessionis; ea enim cessante rursum dare in emphyteusim esset alienatio prohibita, c. *ut super* 8. de reb. Eccles. non alien.

§. 2.

De obligatione solvendi canonem.

Cum tres communiter emphyteuta 1751 obligationes recensentur (è quibus prima est solvendi canonis annui; c. 5. de Locat. altera, ne rem emphyteuticam alienet L. 3. C. de jure emphyteutico, quia Domini interest, rem apud alium esse propter actionem personalem, quam transferre invitus non tenetur: 3. ut rem meliorem reddat, secundum nomen, & concessionis rationem. De prima solvendi canonis annui obligatione dicendum, si emphyteuta biennio negligat solutionem canonis, emphyteusim Ecclesiasticam committi, per c. *Potuit*. 5. de locato, ibi: *emphyteuta cessando in solutione canonis per biennium* (nisi